Wojewodzki Paulo Joan: Leo Wojensius, gentilitiis flammis et praeclaris virtutibus splendidus.

LEO WOIENSCIVS, GENTILITIIS FLAMMIS, ET PRÆCLARIS VIRTVTIBVS SPLENDIDVS, SOLENNI DIE NATALI,

Perillustris, & Reuerendissimi Domini,

D. STANISLAI A BRZEZIE WOIENSKI, ECCLESIÆ CATHEDRALIS CRACOVIENSIS CANONICI, &c. &c. &c. S: R: M: SECRETARII

Votis Amicorum, applaudente Suada,

CELEBRATVS.

PER
M. PAVLVM JOANNEM WOIEWODZKI, *Philosophiæ in Alma Vniuersitate Cracouiensi Professorem.*

Anno Nascentis inter Homines, LEONIS DE TRIBV IVDA;
M.DC. LXXII. VIII. Idus Maij.

CRACOVIÆ,
Apud ALBERTVM GORECKI, S. R. M. Typographum.



Optimos mortalium, altissima cupere. Sic Herculem & Liberum, apud Græcos, Quirinum apud Romanos, Deûm numero additos: *Cornel: Tacit: Annal: lib: 4.*

A D
PERILLVSTREM
E T
REVERENDISSIMVM DOMINVM,
D. STANISLAVM
à BRZEŹIE
WOIENSKI,
ECCLESIÆ CATHEDRALIS CRACOVIENSIS,
CANONICVM.
S: R: M: SECRETARIVM.
Patronum, & Mecœnatem Amplissimum.

QVantum & qualem LEONEM TVVM Perillustris & Reuerendissime Dñe, Peraugustum Capitulum Cracouiense suspicit, Magna Nomina colunt, eruditorum copia veneratur; tantum ac talem exhibere, ad Solennem Natalis TVI recursum, studui: & verè studui, nam exhibere ita vt par est, extra vires & conatū meum, non inficior: quoniam adeo præstans labor, præstantioris industriæ ac ingenij est; adumbrasse me tantùm, vmbratili suada, Igneum Insigne TVVM, fateor: cum lucem addere potui nullatenus: quanquam LEO TVVS natiuo lumine Illustris multùm, addendæ lucis, à Cleanthis cuiuspiam lucerna dimanantis eget minimè, habitis Domi suæ splendoribus ab Illustrissimis Comitibus à Brzeźie in se vberiùs deriuatis: maiora idcirco illi, Gentilitium Decus, destinauit ingenia, arcente ab hoc ausu, exilem calamum meum, ipsâ tenuioris eloquij mei conscientiâ. Non est siquidem an-

 gustio-

gustioris paginæ præsentis, leuisq́; pennæ meæ, magnitudinem, magni Nominis TVI, Perillustris & Reuerendissime Dñe, comprehendere, circumscribere, & in cacumen præcelsæ gloriæ TVÆ euolare; Amplitudo virtutis TVÆ, ampliores vendicat sibi ex æquo Panegyres. idq́; à præcipuis tantùmmodò ingenijs, & ad Sacra Mineruæ frequentioribus, concinnè fabricandas, glorioseq́; diuulgandas. Accipiet acceptabitq́; nihilominus (vt confido) LEO TVVS, tributarium hoc pensum deuoti pectoris, (vtinam ea fronte, quâ olim Sannazarianum hexastichon, à Serenissima Maiestate Veneta, acceptum fuit) & natiua luce sua, tenebras obscurioris facundiæ propulsabit, vmbrasq́; amœniùs illustrabit; me interim cum gratulatorio Natalis TVI affectu, vota pro TVO LEONE, non minùs deuotè, quàm promptè, deponente, ad Sacram D. Tutelaris Tui Aram; Ferat ille ætatem tantam, quanta suis meritis, in Ecclesiam & Patriam debetur; deberi autem ex conscientia multorum didici non modicam. Tendat felici passu ad sublimiora dignitatum fastigia, quibus cum gloria apprehensis, teneat superbam, cum prosperrimis euentibus fortunam. Sic vouet, sic precatur.

Perillustri & Reuerendissimæ Dominationi,

Deuinctissimus perpetuò,

M. PAVLVS IOANNES WOIEWODZKI.

ELO-

ELOGIVM I,

LEONI INTER ASTRA SPLENDENTI,

LEONEM WOIENSCIVM conformem esse,
Ille solus non aduertit,
Qui ad alienos splendores caligat,
Lynx in proprijs fulgoribus.
Clari Natales, eximiaq; in DEVM Pietas,
Talem hunc esse probant eximiè.
DEO enim deuinctissimum ANIMAL,
Illustri splendens origine:
Quam vsq; ad Illustrissimos Comites à Brzężie, refert:
Ita Diuinis fauorabile est,
Vt in terris natum vix crederes;
Nisi iuncta concinnè Maiestati, Modestia,
Terrestre, raro exemplo, testaretur.
Non illud citiùs vllis mouetur iniurijs, quàm DEO illatis,
Nec vehementiùs alijs exultat honoribus,
Quàm DEO collatis.
Ad nihil ampliùs expauescit in terris,
Præter id solum, ne quid vnquam agat cælo indignum;
Laudabilis quippè timor est, circa reuerentiam Numinis.
LEONI DE TRIBV IVDA,
Tanta cum fide famulatur,
Quantam Orthodoxa Religio poscit,
Victrici illius trophæo tam arctè adstipulatur,
Vt vel exinde heroicum se esse demonstret,
Dum Triumphali Signo Cælesti, tutamen cum zelo præbeat.
Cultui Diuino Sacratos, adeò diligit singulos,
Vt totum se vnicuiq; impendere studeat.
Nec vlli maior hostis,
Quàm ei, qui DEO inimicus est.
Mactè animo!
Pietate, prælustriq; origine, Insignis WOIENSCIORVM LEO,
Æternitati Nominis Tui, probè consultum:
Amor Religionis, memoriam immortalem, Tibi comparauit.
Hoc demum,
Christianum est, WOIENSCIVM est,
Cælo & Cælitibus ad sui obliuionem fauere,
Diuinorum reuerentiâ, & cultu propagato.

ELOGIVM II.

Fortunatus Vauelli vertex, pretio & excubijs;
Illud habet, à Sacris D: STANISLAI Cineribus,
Has à Flammeo LEONE WOIENSCIO,
Tam fidissimo, quàm Vigilantissimo Excubitore.
Porrò,
Adeò grandi thesauro, tantus debebatur vigil;
Ad mentem Summi mortalium Pontificis, SIXTI V.
Sacrum gazophylacium LEONI custodiendum
COMMITTENTIS.
Cui pro armis quinq; flammæ,
Contra millenas aduersitates,
Bene sufficientes;
QVIBVS,
Æquè gloriosum, profana abolere, vitia exurere,
Ac Diuina fouere, virtutem illustrare;
Non enim sceleri amicus esse potest, qui virtutem colit impensiùs,
Vno ictu expugnatur vitium, & virtus propugnatur.
Ita qui rosas plantat, lolium exstirpat.
Auolantibus Aquilis, Sacri Corporis Præsulei Custodibus,
Prouidè à Cælitibus suffectus est,
LEO WOIENSCIVS.
Qui ne in hac specula obdormiat aliquando,
Verendum nunquam:
Argo vigilantior est;
Quia apertis stat semper oculis,
Irretortas ad Solem æmulando Aquilas.
SEV
Quòd nihil in Eo tale reperias,
Præ cuius rubore, claudere debeat oculos.
Virtus siquidem publica, nunquam tenebris addicta est.
Bellicoso cognomini suo,
Heroica sanè fortitudine respondet,
Tam strenuè pro Aris pugnans,
Quam fideliter pro earundem pretio
EXCVBAT.
Inassuetus torpori,
Studiosus immortalitatis.

ELO-

ELOGIVM III.

Solertes huc adeſte Symboliographi,
Quoties exprimere dulcis eloquij ſimulacrum meditamini;
LEONEM WOIENSCIVM,
Nobis proponite,
In cuius ore dulces fauos miremur,
Toties relecta epigraphe;
EX ORE DVLCEDO.
Quidni LEO WOIENSCIVS ambroſiam,
In verbis, aut cum verbis fundat copioſius?
Quem ad præclaras artes non minus aptum, quàm natum,
Perillustris, & Reuerendiſsimus Dominus,
D. STANISLAVS
à BRZEŹIE
WOIENSKI,
ECCLESIÆ CATHEDR: CRACOVIENSIS CANONICVS, &c. &c.
Nobili optimarum ſcientiarum præda,
Perſuaui nectare, de elegantibus Oratorum floribus,
Diligenter coaceruato,
Diligentiùs enutriuit.
Adijt enimuerò, non iam Hyblæos, vel Hymetios montes,
Paſsim in figmentis vatum vernantes:
Sed Vaticanum, Calpen, Gebennam,
Tantâ gloriâ, quantâ magnificentiâ:
Ad Polonum decus natiuum, magnifica apud exteros agens,
Artes optimas, didicit optimè,
Solius prauæ vitæ & ingloriæ neſcius,
Omne ſtudium virtuti mancipauit.
Quocirca,
Non minùs facundus eloquio, aut fæcundus ingenio,
Quàm præſtans virtutibus, nec ſemel non agnoſcitur:
Nulli non intimus ore ſuo diſerto;
Illuſtriſsimorum animorum, adeò prodigioſum illicium eſt,
Vt ſublimium affectuum vbiq; Scopus,
An receptaculum dicatur?
Principibus æquè vtilis, ac amabilis,
Magnorum virorum norma, & gloria;
Excelſis operibus perficiendis percommodus,

Ad illuſtria tantùm natus:
A
SERENISSIMO POLONIARVM
ET
SVECIÆ REGE,
IOANNE CASIMIRO.
IN
Auguſtiſsimam & cultiſsimam Nationum Galliam,
Legatus,
Sub rigido Aquilone, diſertos naſci Tullios,
Docuit.
Diu extra Patriam Apollini & virtuti litauit,
Ne vel ſemel extra Patriæ, aut Eccleſiæ vtilitatem,
Ipſis tantùm Laribus ſacrificaret.
Dignus qui triplici diademate fulgeret,
Cum æquè præeſſe, ac prodeſſe,
Animis, affectibus, moribusq; alienis nouerit.
Actiuum ignem, de igneo ſuo INSIGNI,
Hauſiſſe Eum, crede indubitatus,
Nam reuera otio inimicus ſemper,
Egregijs operibus, pro aris & focis, deditus,
Nobilitatem ſanguinis virtute,
Virtutem nobilitate illuſtrat,
Græciæ decus Pericles erat,
Sed fulgurans, tonans & omnia permiſcens,
Facundiâ ſuâ:
Decus & gloria eſt, Perauguſti Capituli Cracouienſis,
Perilluſtris, & Reuerendiſsimus Dominus,
D. STANISLAVS
à BRZEŹIE
WOIENSKI,
Vultu ſerenus, ore dulcis, ſermone ſuauis,
Quo non raro flectit, tam efficaciter quàm prudenter,
Ad fœdus & concordiam, actos in diuerſum animos.
Eccur ad perſuadendum non idoneus?
Cum proprijs exemplis, dicta comprobare valeat:
In aprico, in oculis omnium, ita ſubſiſtens,
Ac ſi cælum ipſi, theatrum eſſet.
Quare,

Triplex Corona, Stemma eſt Auguſtiſſ: Capituli Cracou:

Cæla-

Cælate Phidiæ, formate Polycleti, fingite Myrones,
Sculpite Praxiteles, pingite Apelles, exprimite Politici,
LEONEM WOIENSCIVM,
Eruditum, Probum, Facundum, Pacificum.

ELOGIVM IV.

Palladi deuotum, cùm celebras,
LEONEM WOIENSCIVM,
Themidi intimum altiùs deprædica.
Nunquam Is à lepore captus,
Pro feris scelera persequens,
Flammis suis, non minùs illustrat virtutes,
Quàm exurat vitia.
In iudicijs Tribunalis Regni, quoties iudex,
Toties æquitatis Patronus,
Illicitæ prædæ inhians minimè,
Aristidem in iustitia maximè æmulatur,
Æquior Minoe, quia Religiosior:
Inter subsellia memor Supremæ Maiestatis,
Ad sui pæne obliuionem.
Astrææ tantus fautor,
Quantus profligator scelerum,
Pariter hinc odium, ac istinc amorem
aucupando,
Vtrumq; tamen in encomium sui, non imprudenter
vertens,
Genuina prudentiæ norma:
QVARE,
Dum Iustum amas, Prudentem suspice:
Nec poscas alium,
Cui ex mente ingeniosi Politici,
Serpens (Prudentiæ Symbolum) circumuoluatur;
Hic vtique,
Tam in præclarè agendo constans,
Quàm in sapienter consulendo vtilis,
Certitudinem incertis, ita adstruit,
Quemadmodum dubijs metum adimit.
Anceps & instabilis fortuna, si quando in Eum incidit,
Quadratum & scopulum inuenit,

Ad

Ad quem allisa frangitur, non frangit.
Vt nunquam casum noscat,
Legum prudentiæ, bellè gnarus est.
Et cùm aprico in Sole versari amat,
Inter rudera latere odit;
Suetico proinde furore dirutas ædes,
Cùm inuenit
PERILLVSTRIS VIR,
Et integro refecit,
Solidæ suæ dexteritatis typum,
Posteris daturus.
Ne verò è labili memoria hominum,
Vix præsentia tenentium, magnificum opus excideret,
Marmori illud incidi fecit:
Quanquam ipse Author Magnificentissimus,
Immortalitatem sibi, ipsis virtutibus plenè despondit.
Porrò.
Aulam suam eò magnificentiorem reddidit;
Quò deteriorem accepit:
Ornauit splendidè,
Nam decoris cuiusuis verum exemplar est;
Cùm ita se illustrem esse meminit,
Vt nullam indecoris vmbram, etiam in locum subsistendi, admittat vnquam:
Ita præclarè gestis ad sublimia progreditur,
Vt deprimat neminem,
Dedignatus callidum astum, an dolosum fastum aliorum?
Quibus non aliter assurgere concessit fortuna,
Cùm careant virtute,
Quàm per fractam dolo ceruicem alterius.
Sed proh dolor!
Pessima hæc incrementi methodus,
Ab vrgente sæua Nemesi, corripitur, an corrumpitur ignominiose?

Equidem *PERILLVSTRIS VIR*,
Ante dignitatem illâmet dignus,
Quam & suo accessu auxit:
Gentilitio Igni conformis, lucidum se præstare vbiq; satagit,
Vbiq; virtuti locum esse docens;
Infra virtutem verò literis nihil habens carius,
Literarum Mecœnas & Fautor maximus,
Quia eruditissimus,

Aure-

Aureum illis crebrò porrigit solamen,
In tam squalida & ferrea ætate,
Vt aurea Saturni sæcula, ad Heliconem & Parnassum,
glorioso exemplo reuocet.
Dignus liberâ Patriâ Filius!
Qui Titum liberalitate, Scaurum grauitate,
Augustum ingenio, Iulium Cæsarem eruditione,
Si non superare omnino æquare videtur:
Summis quibusq; Nominibus carissimus, quia simillimus.
Felicissimus cuius in vita, nihil arguere possis,
Nihil in exacta prudentia damnare.
Felix Peraugusta Perillustrium Virorum series,
Quod tantum Virum habeat,
Qui gloriam omnem in se tanquam in theatro circumfert:
Felicior quòd habere meruerit.

ELOGIVM V.

Aduersâ oppressis fortunâ,
Factus asylum,
Fortunatissimus LEO WOIENSCIVS,
Depressam aliorum sortem erigit sæpius,
Bonum se probans optimè,
Beneficiorum diffusione;
Vnde,
Tot suæ munificentiæ habet præcones,
Quot clientes numerat:
Quorum ingentem numerum, grandia monstrant beneficia,
Ad quæ obstruit aditum nemini,
Patente cunctis liberalitate sua.
Hac Diuina pæne industria,
Æternum sibi inter mortales construxit encomium;
Cùm in censum Diuinitatis, nulli virtutum,
venire promptiùs concessum,
Quàm munificentiæ.
Ad altam eminentioris Vauelli speculam,
Supremo virtutum suffragio prouectus est,
Quò meliùs spectaret atq; corrigeret,
Deprauatam Fortunam cæterorum.

Ita,
Immortalitatem non minùs genere nobili,
Quàm virtute promeritus,
Felicem se non arbitratur, nisi cum egenorum curam gerat,
Vt esse vtilior, quàm dici possit.
Exterorum Lares inuisit, atq; immensam illorum capacitatem,
Magnitudine sui Nominis, & maximæ munificentiæ
Famâ compleuit,
Docturus posteros cum exteris,
Quemadmodum Phœbo, in Domo LEONIS commorante,
Opima messis fit;
Ita LEONE WOIENSCIO, exoticum percurrente Zodiacum,
Beneficia abundè spargi,
Quorum diuturna signa, an testimonia perpetua?
Exstant firmiter,
In Gentilitijs Armis suis, illismet ACADEMIIS, affixis.
Id certò habere se arbitratur,
Quod liberaliter effundat.
Nullæ siquidem firmiùs possidentur opes,
Præter munificè datas.
Dum verò plurimorum auget copiosè fortunam,
Minimè propriam minuit,
QVONIAM,
Fœcundus est munificentiæ ager:
Qui ad vota, grati pectoris, proferat,
LEONI WOIENSCIO,
Fructus opimos, Famæ immortalis.

I. Z.